Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

singulis cellulis separati. ita omnia per spiritum sanctum interpretati sunt. ut nihil in alicuius eorum codice inventum esset quod in ceteris vel in verborum ordine discreparet. Fuerunt et alii interpretes qui ex hebrea lingua in grecam sacra eloquia transtulerunt. sicut aquila simmachus et theodotion. sicut et et vulgaris illa interpretatio cuius auctor non apparet. et ob hoc sine nomine interpretis quinta editio nuncupatur. Preterea sextam et septimam editionem origenis miro labore repperit. et cum ceteris editionibus comparavit. Presbiter quoque ieronimus trium linguarum peritus ex hebreo in latinum eloquium easdem scripturas convertit. eloquenterque transfudit. cuius interpretatio merito ceteris antefertur. Nam est et verborum tenatior et perspicuitate sententie clarior.

Qui primi rome libros advexerunt.

Rome primus librorum copiam advexit emilius paulus perse macedonum rege devicto. deinde lucullus e pontica preda. post hos cesar dedit marco varroni negotium et maxime bibliothece construende. Primum autem rome bibliothecas publicavit pollio. hic grecas simul atque latinas. additis auctorum imaginibus in atrio quod de maniubus magnificentissimum instruxerat.

Qui apud nos bibliothecas instituerunt.

Apud nos quoque pamphilus martyr cuius vitam eusebius cesariensis conscripsit. pisistratum in sacre bibliothece studio primus adequare contendit. hic enim in bibliotheca sua prope xxx voluminum milia habuit. Ieronimus quoque atque gennadius ecclesiasticos scriptores toto orbe querentes ordine persecuti sunt. eorumque studia in uno voluminis indiculo conprehenderunt.

Qui multa scripserunt.

Marcus terentius varro apud latinos innumerabiles libros scripsit. Apud grecos quoque calcenterus miris attollitur laudibus quod tantos libros ediderit. quantos quisque nostrorum alienos scribere propria manu vix possit. Denritus quoque apud grecos origenes in scripturarum labore tam grecos quam latinos operum suorum numero superavit. Denique ieronimus sex milia librorum eius legisse se fatetur.

Horum tamen omnium studia augustinus ingenio vel scientia sua vicit. Nam tanta scripsit. ut diebus ac noctibus non solum scribere libros eius quisquam sed nec legere quidem occurrat.

De generibus opusculorum.

Opusculorum genera esse tria. Primum genus excerpta sunt. que grece scolia (ex) nuncupantur. in quibus ea que videntur obscura (uel) vel difficilia summatim ac breviter perstringuntur. Secundum genus omelie sunt. quas latini verba appellant. que proferuntur in populis. Tertium genus tomi. quos nos libros vel volumina nuncupamus. Omelie autem ad vulgus loquuntur. Tomi vero id est libri maioris sunt disputationis. Dialogus est collatio duorum vel plurimorum. quem latini sermonem dicunt. Nam quos greci dialogos vocant. nos sermones vocamus. Sermo autem dictus quia inter utrumque seritur. Unde in virgilio. multa inter se serebant. Tractatus est unius rei multiplex expositio. eo quod trahat sensum in multa sentiendi contrectando sensu. Differt autem sermo. tractatus et verbum. Sermo enim alterum eget persona. tractatus specialiter ad se ipsum est. verbum autem ad omnes. Unde et dicitur verbum fecit ad populum. Commentaria dicta quasi cum mente. Sunt enim interpretationes ut commenta iuris. commenta evangelii. Apollogeticum est excusatio. in quo solet quidam accusantibus respondere. In defensione enim aut negatione sola positum est. et est nomen grecum. Panagericum est licentiosum et lasciviosum genus dicendi in laudibus regum. in cuius compositione homines multis mendaciis adulantur. quod malum a grecis exortum est. quorum levitas instructa dicendi facultate et copia incredibili multas mendaciorum nebulas suscitavit. Fastorum libri sunt in quibus reges vel consules scribuntur a fascibus dicti. id est potestatibus. Unde et ovidii libri fastorum dicuntur. quia de regibus et consulibus editi sunt. Proemium est initium dicendi. Sunt enim proemia principia librorum. que ante cause narrationem ad instruendas audientium aures coaptantur. cuius nomen plerique latinitatis periti sine translatione posuerunt. Hoc autem vocabulum apud nos interpre-